

PROGRAMMA;
QUO
AD DISPUTATIONEM INAUGURALEM,
PRÆNOBILISSIMI ET CLARISSIMI MEDICINÆ
CANDIDATI,
DOMINI
PHILIPPI SAMUEL. HORN,
GARZA RUGIENSIS,
DE SITU CORREPTIS PARTI-
BUS CORPORIS HUMANI
VIVENTIS.

IN AUDITORIO MAIORI

Die 30. Jun. A. O. R. MDCCXXXIX,
habendam

MAGNIFICUM DN. RECTOREM,
ACADEMIÆ ET URBIS PROCERES, OMNES
SINGULOSQUE ACADEMIÆ CIVES, ET
LITERARUM FAUTORES,

Ea qua decet humanitate invitat,
& infimul

DE RESTITUTIONE SCROTI SPONTANEA
quædam præmittit

GEORG CHRIST. DETHARDING.

Ph. & Med D. & P. P. Ord. & ad hunc Actum Decanus.

ROSTOCHII,

Typis JOANN. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. ET
ACADEM. TYPOGR.

Chirurg.

355,70

1300



* * * * *

Inter Indicationes Chirurgicas haud ultimum locum obtinet consilium: quod si integritas partis alicujus conservari nulla ratione possit, sive, quod ab externa violentia plane sit a corpore separata, sive restitutio perfecta ultra vires humanas posita, sive destructio ejusdem deformitatem conciliet &c. eo esse allaborandum, ut quantum fieri possit, vel actio laesa restituatur, vel suppositiis rebus vitium immedicabile tegatur, sicque deformitas aereatur.

Ea ex ratione oculi corrupti figura sua orbati, vel plane extirpati vices supplet oculus artificialis, ex vitro vel auro paratus, & ad normam oculi sani pictus. Nasum vel lue venerea corruptum, vel a vi externa ablatum refarcit nasus ex charta duplicata vel go Papp, concinnatus, & parili cum facie colore imbutus, mediante elatere septo restitanti adhærens. In auris à capite separatae locum cedit itidem auris talis chartacea; Palatum perforatum obturat lamella cannulâ instructa, & mediante spongia annexa, foramini intrusa. Alveolos dentibus orbatos explent dentes eburnei, vel ex dente hippopotami confecti. Brachium ablatum quadantenus restituitur machina artificiosa, brachii formam habente, quo, variis contentis elateribus, certi & determinati motus perfici possunt. Pariter pedis amputati locum occupat per ligneus, vel rudi modo paratus, quem Germani einen Stüzel-Fuß appellant, vel figuram pedis sani præ se ferens, ut sic

sic satis commode incedere possit mutilatus. Quinimo eo us
 que pertigerunt conamina quorundam Medicorum, ut per
 insitionem vel conglutinationem partis corporis viventis por-
 tionem ablatam, nasum imprimis, labia & aures restituere ten-
 taverint. Hoc in negotio antesignanum observamus *Casparum*
TALIACOTIUM, Bononiensem, qui peculiari libro de *Curtorum*
Chirurgia per insitionem, methodum tali ratione ægrotis subveni-
 endi fuse satis exposuit; ast præter *GRIFFONIUM*, *MOLLI-*
NETTUM & *PURMANNUM*, vix invenimus, qui vestigia
 ejus legerunt, forsan, quod crudelitas operationis eosdem de-
 terruerit, vel observaverint, irritum post tot perpeffos cruciatus,
 fuisse successum. Instituti ratio non permittit, ut inquiram, an
 operatio hæcce possibilis sit & commendanda, an vero cum
 chirurgia transfusoria pari passu ambulet. Hoc certe verum,
 præter pilos & ungues, quos tamen ad excrementitias partes
 nonnulli referunt, nullam partem corporis deprehendi, quæ,
 si plane remota fuerit, sua sponte restituatur, nisi membra-
 ceas exceperimus, videmus etenim, integumenta corporis com-
 munia ablata iterum refarciri, præputium in recutitis aliquan-
 do regenerari, imprimis vero Scrotum sphacelo correptum &
 absumptum cum ingenti ægrotorum gaudio renasci, & testi-
 culos velamento suo denuo circumdari; hujus rei testimonia
 attulerunt *LAMSWERDE* in *Append.* ad *Armament. Chir.*
SCULTETI. Obs. 28. *STALPART* van der *WIEL. Cent. I.*
Obs. 85. it. *BASSIUS* in *Observ. Chir. Med. Dec. II. Obs. 10.* Quan-
 doquidem & mihi contigit casus parallelus, juvabit, in ma-
 jorem facilis scroti restitutionis certitudinem, eundem data
 hac occasione recensere. Vir quidam Comicus sub molesto
 itinere a succussionibus fortioribus carpenti vilioris, Scroti par-
 tem inferiorem paululum læserat, parum tamen hocce curans,
 iter suum per octiduum strenue prosequabatur, donec ob ine-
 vitabilem sub continuata illa jectigatione, partis læsæ attritio-
 nem, ita totum scrotum intumuerat, ut veræ inflammationis
 signa cum doloribus lancinantibus & febrilibus motibus con-
 juncta sese exhiberent. Huc adventans, nescio quæ remedia
 applicanda curabat, ast tam infausto cum successu, ut
 paucis dierum intervallo omnes dolores remitterent, & co-
 lor cutis in nigredinem abiret, mephitim spirantem. Accer-

situs ego totam scroti peripheriam nigerrimo colore ita im-
 butam observabam, ut sub primo intuitu Roob sambuci illini-
 tum esse suspicarer, certior tamen de perfecto hujus partis spha-
 celo redditus, quæ ad separationem partis corruptæ, & defen-
 sionem vicinæ facere possent, ordinabam; & brevi eo usque
 succedebat hocce negotium, ut toto sphacelato scroto remoto, te-
 sticuli nudi sed illæsi apparuerint; arcebantur isti ab accessu
 aëris quam sollicitissime, & ne in consortium putredinis abirent
 omni studio evitabatur, sub hocce negotio ab omni fere parte
 surgebat membrana sat valida, tam brevi increscens, ut spatio
 quatuordecim circiter dierum, testiculi iterum suo involucri
 gauderent. Hocce regeneratum scrotum læve erat tactu,
 nullis pilis obsitum, nec sutura per medium decurrente distin-
 ctum, minoris itidem existebat diametri, dum testiculos ad ra-
 dicem penis arctius attractos, exacte cingebat. Elucescit ex-
 inde, quanta sit autocratia naturæ, & quam intempestive Me-
 dicus sibi titulum Naturæ Domini subinde vindicet.

Anlam hæc præmittendi dedit *Viri Prænobilissimi & Doctis-
 simi PHILIPPI SAMUELIS HORN*, Disputatio Inauguralis, de
Situ correptis partibus corporis humani viventis, perendie habenda,
 de cujus honesto ortu, studiisque hucusque solerter tractatis,
 ut palam constet, placuit, quæ ipsemet Candidatus dignissimus
 chartæ mandata mihi tradidit, sic inferere:

Ego P. S. HORN lucem adspexi Anno MDCCXIV.
 d. 6. Februar. in oppido Principatus Rugiæ, Garza dicto.
 Patrem veneror *Davidem Christianum HORNIUM*, Past. Sen.
 Ecclesiæ, quæ Christo ibidem colligitur vigilantissimum,
 qui filius B. *Davidis HORNII*, Pastoris Peronensis pro-
 pe Sundium quondam fidelissimi, & nepos *Barthol. HORNII*,
 Med. Doct. & Medici Status munere Sundii olim fungentis.
 Matrem mihi gratulor *Annam Catharinam SCHEVENIAM*, B. G.
 P. *SCHEVENII*, Pastoris quondam Gartzensis meritissimi fi-
 liam. Quos ambos Parentes salvos & incolumes, faxit Sum-
 mum Numen quam longissime! venerari & amplecti liceat.
 Primæ Parentum curæ fuerunt, ne elabi vel primos annos pa-
 terentur, quin crescente ætate & crescerem pietate, & studii
 amore sensim animus tingeretur, quando a teneris, ut ajunt
 unguiculis, prima religionis Christianæ fundamenta, & litera-
 rum

rum rudimenta tenerrimus amor cum Avi materni, tum Paren-
tis optimi instillavit; a quo non modo me concrediderunt Præ-
ceptoribus domesticis, sed anno circiter 14. ætatis quoque tra-
diderunt in Gymnasio Sundenfi formandum, Viris de eru-
diendis fidei suæ commissis longe celeberrimis, Dn. Mag. PY-
LIO Reçtori, & Dn. WACKENRODERO, Conreçtori, Affini
& Fautori meo æstumatissimo, Verum non nisi per aliquot dies
illorum lectiones frequentare mihi licuit, ob affectum, quo
corruptus sum, singularem, pedibus videlicet insistendi &
ambulandi impotentiam, quæ per annum & quod excurrit,
me detinuit, ut omnes quoque Medici nunquam sanitatem
pristinam & orthostadium me esse recuperaturum præfagirent.
Tandem v. per summam DEI gratiam in Parentum suavissi-
morum gaudium restitutus, traditus sum privatæ informatio-
ni Dn. von ESSEN, qui me humanioribus, & quæ altiora spectant,
per binos annos imbui curavit, donec Academias salutare di-
gnus fuerim judicatus. Prima Almarum, quæ me recepit &
fovit, Varniaca fuit, quam An. 1732. adii, & sub Magnif. I. I.
Reçtore, Dn. D. E. J. F. MANTZELIO civitatis Academiae jura
ambivi & obtinui, cujus Prælectionibus in Hist. Polit. me inter-
fuisse lætus recordor, & singularem in me favorem nunquam
oblivioni tradam. Collegia quoque Philosophica Viri summe Re-
verendi & Excellentiss. Dn. D. BURGMANNI haud sine
fructu audivi. Nec reticendus mihi est Vir plurimum reve-
rendus Dn. Mag. BECKERUS, cujus Prælectiones Physicæ
Dogmat. Experimental. per semestre spatium auscultavi. In
studio autem Medico, cui statim ab initio me mancipavi, Vir
Illustr. atque Magnif. Dn. G. DETHARDINGIUS, eo tempore
in hac alma Med. Prof. Ducal. & Academiae Senior, nunc in
Regia Hassniensi Danorum Universitate Prof. & Consist. Asses-
sor, nec non Magnif. Dn. Præses, - Hospes meus per trien-
nium olim exoptatissimus, facem mihi prætulerunt, nilque omi-
serunt, quicquid ad animum meum scientia Medica tingen-
dum, set imbuendum facere poterat. Occasio quoque se mihi
obtulit publicæ masculini cadaveris sectioni adstandi, & lectio-
nes Anatomicas privatas cum oculari inspectione conferendi.
Tantis proinde Viris æternum me gratum profiteor, præsertim
vero Magnif. Dn. Præsidis, eximium, quo me dignatus est, favo-
rem,

rem, & dexterrimam manuuctionem non satis deprædicare
possum; in eo enim inveni, quæ a perfecto & fideli Præce-
ptore unquam poterant expectari, qui post discessum Vene-
randi Dn. Parentis, suis in Cursu Medico emetiendo partibus o-
ptime defunctus, me privatim exercitum, tandem 1734 in cathe-
dram deduxit, ut ipso Præsede Disp. de *Historia morborum conscribenda
fida & arcana methodo &c.* publico eruditorum examini sifterem.
Collegiis itaque & Philos. & Med. in hac Acad. exantlatis, Gra-
tiosam Facult. Med. decenter compellavi, ut examinibus sue-
tis vires meas experiretur; annuit illa, qua solet facilitate, & pro-
fectibus meis exploratis, ad examen publicum me admitti bene-
vole concessit. Malui tamen exterar ante Academias visere, &
apum instar in istis adhuc colligere, quæ mihi usui fore in-
tellexi, quam ad hoc examen me accingere. Salutavi ergo
An. 1735. Mens. Maj. primo Halensem, ibidemque Colleg. tam
publ. quam privatis Professorum per orbem eruditum famige-
ratissimorum sedulo interfui. Audivi nam in Præcticis Illustr.
HOFFMANNUM & JUNKERUM, in Med. Forensi ALBER-
TI, in Chirurg. BASSIUM, in Anatomicis CASSEBOHMIUM,
in Hist. Med. SCHULTZIUM, nec oblitus sum, data occasio-
ne Illustr. de LUDWIG, BOEHMERI, HEINECCII, alio-
rumque Collegiis interesse, quo & horum per orbem celeberrimorum
Virorum altius mihi imprimeretur memoria. An-
sam quoque plus simplici vice nactus sum, oppositionibus
publicis Præsede, tam Illustr. HOFFMANNO quam Excell. AL-
BERTI, me exercere. Abhinc suasu modo laudati HOFF-
MANNI, de cujus insigni benevolentia maxime mihi gratu-
lor, Lipsiam adii, ibique per aliquot septimanas commoratus,
ad Thermas Carolinas, Töplizenses, acidulasque Egranas me
contuli atque ex eorundem usu virtutem ac modum adhiben-
di didici. Dresdam porro profectus sum, ubi quæ visu & ex-
ploratu digna sunt, (esse vero per quam multa, cuivis constat)
curioso animo percontatus sum. Salutavi quoque Freyber-
gam, & metallifodinas ac mineralia attentis oculis volvi.
Tandem Halam iterum petii & per semestre hybernum exer-
citiis Analomicis interfui, ita ut ipsemet semper ma-
num applicaverim. Halæ valedicens Lipsiam iter feci,
& Collegiis Excell. ibidem Professorum, SCHACHERI,
(jam

(jam cælitibus adscripti) WALTHERI, PLATNERI &c. interfui, nec omisi in hortis prope Lipsiam sitis, rei herbariæ mihi comparare notitiam. Adii quoque vicinas Lipsiæ Academias, Wittebergensem ubi Cel. VATERO in primis innotui, qui in ostendendis egregiis suis Præparatis Anatomicis ac curiosis Physicis facillimum se exhibuit; Jenensem, ubi WEDEL. HAMBERG. TEICHMEIERUM &c. audiui; Erfordiensem, ibique Illustr. D. BUCHNERO, gravissimo A. N. C. Præsidi innotescere fors mihi contigit. Salutavi porro Vinariam, Weissenfelsiam, Martisburgum, aliaque loca, & visu digna curiosis perscrutatus sum oculis. Cum autem mecum constituisset, studio Anat. atque Chirurg. præsertim incumbere, & Argentoratum aut Hollandiam petere mihi non licuerit, Berolinum An. 1737. adii, quæ urbs ex Clementia Regia Emporium Anatomiae & Chirurgiæ dici meretur, & per semestre hybernium Anatomicis cadaverum sectionibus non adstiti tantum, sed manum quoque ipsemet applicavi, in Nosocomio, quoque, vulgo Charite dicto, Operationibus Chirurgicis interfui, & ut encheireses illas instituendi eo melius addiscerem, sub Cel. Chirurg. Profess. Dn. NEUBAUERI manu ductione in cadaveribus me exercui, totumque, ut vocant Cursum Operat. privatissime, sum emetito. Haud interim neglexi publicis sub lectionibus D. BUDDEI SCHARSCHMIDII (quo etiam privatim in Osteol. Præceptore usus sum) & POTTII in Theatro Anat. auditorem agere & commoda stipatus occasione splendidissimam Pharmocopæam Reg. sæpius visitare. Tandem exacto sexennio, jussu Parentum honoratissimorum, Mens. Maj. Anni præteriti ad patrios lares me contuli, salutavi quoque Academiam Patriam, ubi honor ac facultas mihi obtigit, Viros Magnif. atque Excell. Dn. D. LEMBKE, SCHEFFEL. & WESTPHAL. adeundi, ac non nisi doctiorem ab illis discedendi. Sub auspiciis vero hujus anni Almam hunc Varniacam repetii; benevole in ædibus suis excepit Magnif. Dn. Præses, & præsertim ad praxin Clinicam fidelissime manu duxit, occasio quoque se mihi obtulit, publicæ masculini cadaveris sectioni manum admovendi.

Possem varia adhuc addere, quæ modestia Dn. Candidati studio omisit, & in laudes ejusdem promeritas referre, me semper in Eodem deprehendisse mores compositos, singula-

re

re studiis suis semper aliquid addendi desiderium, & promptitudinem in expediendis suis negotiis egregiam, quæ me compulit, ut subinde, ægros auxilium a me desiderantes Ipsi curandos vel invifendos commiserim, imo & præterita hyeme sub Demonstrationibus Anatomicis in Cadavere masculino, Eodem Profectore fuerim usus. Haud opus proinde esse reor repetere, quod in Examinibus, quæ ante quadriennium jam sustinuit, promptas semper ad interrogata dederit Facultati Medicæ responsiones; ut proinde Eidem potestas quam lubentissime concessa, Disputationem suam inauguralem: de *Situ correptis partibus corporis humani viventis*, publico Examine perendina die subjiciendi. Ad quem actum solennem MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM, Academia & Urbis Patres conscriptos, Dn. Doctores, Verbi Divini Ministros, Philosophiae Magistros, generosos & nobilissimos Studiosos, & quotquot præterea studiis favent, omni, qua decet observantia, & humanitate invito.

P. P. sub Sigillo Facult. Med.

An. MDCCXXXIX, d. 28. Jun.



Chir. 255, 70